



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

1. Quæ Theophrasto fuerit de intellectu sententia
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

exornant; adest intellectus agens, qui eas ex prioris intellectus potestate educit; denique ex intellectu patibili formique intellectibus ens exitit compositum in intelligentium genere perfectissimum.

Digressio xxx. Quid sit intellectus agens.

Dvas ob causas ad agentis intellectus naturam constituedam digrediedum mihi esse hoc loco cenleo. Primum quonia interpretes Gracos tum digredientes, tum inter se digladiates video. Deinde ne subsiquens interpretatio laborare atque huc illucque temere impelli ac nutare sepe cogatur. Duo autem praestanda mihi sunt. Tum veterum peripateticorum sententia diligenter ac fideliter commemoranda. Tum quid vero magis consentaneum videatur, constituendum.

1. Que Theophrasto fuerit de intellectu sententia.

ERgd vt eos mittam, quos Themistius sensisse commemorat agentem intellectum primas illas propositiones esse, quae ceterarum in nobis cognitionem pariunt. Nam ea, quae de hoc intellectu ab Aristotele traduntur, cum esse diuinum, impatibilem, immortalem, sempiternum, separatum, substantia sua actionem; propositionibus illis nullo modo conueniunt. Que Theophrasto fuerit de intellectu sententia, ex libro de phantasia & intellectu Priscianique commentatione licet colligere. Fuit autem hac. Agentem intellectum animae virtutem non esse, sed abstractam prorsus substantiam. Sic enim ratiocinatus fuisse videtur. Quonia intellectus immaterialis existit, perinde iudicandum de illo est, atque de immaterialibus ceteris. Sic enim Aristoteles prodidit. Iam in immaterialibus idem est, quod intelligitur, & quod intelligitur; id est intellectus & intellectibilis forma. Siquidem ipsa seipis per suam essentiam intellectibilia sunt: neque vllibi potest esse diuisio. Quare quidquid materialium quoque separatur a materia, tum intellectibile actu, tum intellectus statim euadit; hoc est tum intellectibilis forma, tum intellectus. Porro ex materia consortio priuatio nascitur: quae igitur immateriales formae sunt, priuatione carent. Itaque vita formique plenae existunt. Immo idem cum formis; cum ipsamet intellectibiles formae sint. Cum ergo intellectus omnis immaterialis existat, eiusmodi erit intellectibilis forma; quae priuatione prorsus carens, tota sit vita intellectibilisque formis plena. Earque omnes formae tum inter se, tum cum intellectu vnica maxime sunt & indiuiduae: quippe quae nil aliud sunt, quam intellectibilis ipsius intellectus essentia: praesertim vero cum vita quaelibet, quae in seipsam conuertitur, indiuidua sit.

Ceterum tribus modis habere se possunt entia haec immaterialia. Aut enim ab omni materia quoque separatae substantiae subsistunt, in seipsis penitus indiuiduae: aut explicantur quodam modo, expanduntur, & conuertuntur ad materiam & corpus: aut inter haec mediae sunt, indiuiduae in se, explicatarum tamen determinatrices. Hinc triplex intellectus existit. Primus separatus, qui actu semper est, perfectus, semper intelligens, primoque gradu res omnes intellectibiles. Alter participatus ab anima, qui animalis propterea vocatur, quod animae virtus sit. Is actus quidem est, & res omnes

intellectibiles; sed secundo gradu. Quoniam propter cognationem cum anima & inclinationem ad materiam corpusque diuiduum, tum ab vnitate essentiae atque actionis impartibilitate cecidit: tum intellectibiles formae, quae sunt in ipso, obsecuratae quodammodo fuerunt. Quocirca vt intelligat, intellectu indiget illo primo: tum vt ad intellectiorem penitus indiuiduam reuocetur: tum vt intellectibilia, quae sunt in ipso, a praefulgidis intellectibus separatis ac sinceris primi illius intellectus illustrentur perfectaue intellectibilia fiant. Quam ob causam Aristoteles primum illum intellectum Solis lumini comparauit agentemque intellectum nominauit. Animalis autem hic noster patibilis seu patiens dicitur, quod ab illo primo perficiatur. Tamen si improprie & per similitudinem passio vocatur: siquidem is actione potius a seipso circa intellectibilia deprompta, quam passione ab alio illata, perficitur. Vt enim in inclinatione ad corpora casus ab intellectu contingit; sic in perspicua ad seipsum reuersione atque ad primum & sincerum illum conuersione perfectio intellectus nostri tota consistit. Propterea potestate interdum est, interdum actu; per sepe imperfectus, aliis perfectus. Nec tamen ab externis rebus perficitur vt sensus; sed a seipso potius incipit, & quae sunt cognoscenda producit ac res ipsas inuenit, dum semetipsum ingreditur; atque ad superiorem intellectum conuertitur. Hinc anima mobilis definitur. Quia tum ad ignorationem fertur, quatenus ad deterius, hoc est ad corpus & materiam inclinatur: tum scientia perficitur, quatenus ad superius, id est ad intellectum conuertitur. Ita quandoque imperfecta est, quandoque perfecta. Imperfecta dum ignorat: diciturque potestate esse, quia cognoscendi vim habet. Dum autem scit, iudicatur perfecta; tum in actu primo, si habitum scientiae habeat, nec eo tamen vtatur; tum actu secundo, si actum illius promat. Quare cum primus intellectus idem semper sit actu & perfectus: animalis hic noster existit triplex; potestate, habitu, & actu. Ille simplicem & eundem semper intelligendi modum habet, quo insitas sibi formas inspicit, & per eas tum seipsum intelligit, tum cetera tanquam effecta per suas causas. Hic autem noster duplicem. Alterum simul cum sensu & phantasia progredientem ad exteriora. Alterum sibi proprium, quo solus ipse sincere vtens ratione, atque in seipsum rediens & ad superiorem intellectum conuersus formas contemplantur suas: nec seipsum modo cognoscit, sed immaterialia quoque cetera & materialia. Immaterialia quidem, tanquam suis rationibus similia & coniugata. Materialia vero, vt ex eausa cognoscens effecta, quae causa similia sunt.

Porro primum illum intellectum agentem separatum esse neque animae virtutem: duobus modis visus est confirmare Theophrastus. Primum quia vt per inclinationem & progressionem ad corpus intellectus alter, qui est noster, imperfectus efficitur & potestate; sic fieret ille, si animae virtus esset, quae actus existit corporis. Si igitur perfectus semper & actu est, ab omni corpore & anima separatus plane subsistit. Deinde quoniam qui geminam hanc duplicis intellectus agentis & patiensis essentiam in nobis cogitet, geminasque virtutes & actiones; si ea omnino disiunctae sint, profecto vnum animal multum.

Agentis intellectum virtutem animae non esse.

NNNN

ta faciet animalia. Sin autem eas dicat in vnum conspirare & coire principium; illud aut est vni-forme & semper immutabile; nullaque in nobis vnquam aut essentia, aut actionis imperfectio fuerit. Aut difforme ac mutabile. At in mutationibus omnibus, quæ secundum actionem fiunt, permanet semper ipsa vita. Oportet igitur primum illum intellectum, qui agentis vim habet, abstractum penitus esse; neque partem eiusdem animæ, cuius est secundus intellectus noster.

Præter hos demum duos intellectus, tertius & infimus est anima ipsa rationalis, quæ cum ad materiam & corpus expandatur & explicetur, tertio & infimo gradu intellectus existit: cum expansione quidem & explanatione se habens; dum tamen à se ipsa orditur opus suum, & in se ipsa res inuenit, velut separatarum rationum plena; ad superiores intellectus aspiciens ad individuum se & alia colligit.

*Intelle-
ctus agens,
Deus.*

Quod igitur ad id attinet, quod nunc queritur, intellectum agentem voluit Theophrastus animæ differentiam & facultatem non esse, sed separatam substantiam. Et licet apertis non vtatur verbis; significare tamen videtur Deum, qui primo gradu res omnes est, primaque ac suprema omnium intellectibilis forma. Apertè autem id eum sensisse interpretatus est Marsilius Ficinus cap. 4. & 17. illius libri, & in 11. Platonicæ Theologiæ libro cap. 4. ex Platonicorum sententia multis persequitur. Deinde intellectiōnem & intellectibiles formas in nobis progigni, non ab agente illo, sed à nostro intellectu; ac non sine illo. Verum quatenus ad illum reuocat se se atque à melioribus eius formis illustratur. Quam solam ob causam is intellectus agens vocatur. Alioquin intellectus noster, suapte natura est potestatis; quia vim quidem habet intelligendi, formasque intellectibiles promendi; re ipsa tamen id non assequitur, nisi ad primum illum accedat atque illustretur ab eo. Sic enim colores quoque actu colores sunt; sed nisi collustrantur à lumine, videri actu non possunt.

2. *Cogitur hæc Theophrasti sententia.*

Ceterum si hæc opinatus est Theophrastus, multa sanè peccauit. Primum ampliori, quàm par erat, significatione propositionem eam accepit (in immaterialibus idem est, quod intelligit, & quod intelligitur. Neque enim vniuersè vera est, nisi in sui ipsius intellectu; quæ cum sint immaterialia, præstant hoc materialibus immaterialia omnia, vt possint in se ipsa redire, seque ipsa intelligere: dum materialia sunt quidem intellectibilia, sed ab alio, non à seipsis. De aliorum autem intellectu in solo primo ac diuino intellectu vera est propositio. Quippè is non aliunde obiecta externa intelligenda querit: sed vt in se rationem entis omnem continet, sic se ipsum intuens, & se ipsum & cætera omnia intelligit. Intellectus cæteri eum entia sint determinata & finita, & ita hoc vt non aliud; dum se ipsos intuentur, se ipsos solos intelligunt. Cætera vt intelligant, siue superiora, siue inferiora; siue immaterialia, siue materialia; ad illa se se conuertant, illaque intueantur necesse est. Vnde phantasia atque ad phantasmata conuersionis in nobis necessitas. Aut si species & formas intellectibiles insitas quispiam dicat; ea vt aliarum rerum representatrices sunt, sic ab intellectu essentia diuersè existunt. Quem admodum verò materialia, si à materia separan-

*Vt in
imma-
teriali-
bus idē
est quod
intelli-
git, &
quod in-
telligi-
tur.*

tur, tum intellectibilia, tum intellectus eorum in superioribus declaratum est.

Tam alterum Theophrasti peccatum fuit, quod intellectum omnem formis omnibus intellectibilibus plenum, hoc est rerum omnium intellectuum representationum fecerit. Hoc videlicet actio nascatur. Et enim argumentationis huius vis in solo intellectu diuino locum habet. Is namque vt omne ens, sic idæis & formis rerum omnium plenus est: atque ita actu, vt non priuationem modo, sed & potestatem & negationem omnem excludat. At inferiores intellectus, siue angelicus, siue humanus, finita entia sunt: & ideo ex ente & non ente, ex actu & potestate, ex affirmatione & negatione composita: atque ita formam obtinent formam & naturam, vt cæteri omnes careant. Quam carentiam si propriè priuationem appellare nolis, quod materia non lubet; negationem certè appellabis, aut etiam comparatione formarum secundum essentiam negationem dices; comparatione formarum intellectuum & secundum esse cognitum priuationem quoque. Quoniam reales quidem formæ ac naturæ aliarum rerum esse nequeunt intellectus illis ac per negationem possunt: adestque negatio in subiecto ad cognitiones & intellectibiles rerum omnium formas suscipiendas idoneo. Vnde Aristoteles in intellectu nostro non negationem modo intellectuum formarum, sed potestatem item ad illas in superioribus tradidit.

Tertium peccatum in triplici intellectu distribuendo facile agnosces. Namque vt mittam, abstractum esse penitus à materia, aut ad materiam expansum & explicatum, contradictione continere; non esse in materia, aut esse in materia; neque inter contradictoria membra quidquam esse mediū, vt est Dialecticæ ac Metaphysicæ axioma. Intellectus ibi & intelligens anima confunduntur.

Anima enim rationalis, vt anima est, animæ corpus, atque illius actus existit: vt autem intelligens est & intelligit, intelligens est atque intelligit per intellectum, qui animalis dicitur & potestatis, tanquam ipsius facultas. Quare non est illa intellectus appellanda, sed intelligens; neque vltus est rationalis in intellectu præ animalis nisi alter ad rationem admodum, alter ad simpliciter intelligendum cogitur; quod sanè superfluum est & vnum, neque vlla ratione firmatū. Deinde vt primus intellectus & rationalis anima substantiæ sunt; sic animalis intellectus inter hæc medius constitutus substantia videtur. Philosophus autem animæ facultatē fecit; omnisque facultas formaliter accidens est & qualitas, non substantia. Tum verò dū tripliciter intellectus duntaxat esse dicitur, aut vnicus esse creditur separatus intellectus, diuinus scilicet; neque præter eum vlla fuerint intelligentiæ abstractæ certissimis rationibus ab Aristotele demonstrata. Aut non solus Deus, sed æque omnes ille intellectus agentes esse asseruntur. Id verò & per se absurdum est, & huius sententiæ auctori nequaquam consentiens. Quippè vnum esse primum & primo gradu res omnes, pluribus conuenire non potest; præsertim eum in intelligentiis etiam illis ordo cernatur; vnaque sit omnium prima & suprema; à qua cæteræ pendent. Certè si primus intellectus primo gradu est res omnes, & intellectus noster animalis secundo gradu separatis compluribus cæteris intellectibus nullus est locus.

Quarto